

Similacea illa manna, quæ è tumulo Apostoli sexto adhuc & octavo sæculo exsufflabatur; pulvis illa, de qua S. Augustinus & alii viri graves nonnulli, multum sanè contulerunt concilianda inter Fideles de immortalitate S. Joannis persuasioni. Valuit pariter ad eam rem apud indoctum, vulgus subleita Actuum S. Joannis (c), & librorum apocryphorum fides. Sed ipsa in se res ad trutinam revocanda. Acta illa, quæ olim ferebantur nullius erant in Ecclesia auctoritatis, nihil illis vetustate, quam jactabant, conferebatur. Quod enim Ebionitarum, vel Encratistarum fraude secundo Ecclesia sæculo supposita tenerentur, satis erat, ut deplorata essent apud Fideles auctoritatis.

Est quidem demus, Authores hujus generis fabularum genuinæ S. Joannis hystoriae adfinitia quædam ornamenta, & fabellas intexuisse; quid inde? Nonne id fortè cum cæteris addi ab illis potuit, quod narrat de Apostolo spontè in sepulchrum sese inferente? Fucum, & fabulas hæc hystoria demamus, nihilque parebit aliud, quàm quod Apostolus etate senioque tantum confectus diem ita claudit, ut ne decessisset quidem videretur; quare spirans adhuc in sepulchrum descendisse reputari poterat.

Pulvis ille è sepulchro ebulliens duo prodit; nimirum receptam valè persuasionem Apostoli illius, corpus adhuc in tumulo recondi, quare nec ad vitam redisset, neque in occultum aliquem mortalibus locum unà cum Enoch & Eliâ detineri credebatur. 2. Corpus illud vivens adhuc & ingesta super terrâ adhuc spirare, quod fidem omnem superat. Si post obitum sex vel octo sæculis adhuc spirabat, quid hodie de illo factum est? An post eam etatem decessisset contigit? Quomodo vitam suam tot sæculis produxisse valet homo sub terra defossus, sine cibo, luminis & aeris beneficio privatus? Si vitales spirat auras, cur è cæco illo loco non educitur?

At enim quæstio est facti; è tumulo genus quoddam terræ vel manna exsufflabatur, præsentissimum ægrotis pharmacum. Sit esto, terra sive pulvis supra tumulum Viri sancti vel circum jacens, & restituentæ sanitatis virtute polleat; nonne merito & fidei religiosissimorum Fidelium dari illud à Deo potuit; quemadmodum præstitum ab ipso scimus in eorum gratiam, ut pulverem è tumulo Apostolorum Petri & Pauli & aliorum Sanctorum deductum in morbis suis solatium quærerent & levamen? Quæ de pulvere illo veluti hominis respiratione è tumulo exsufflato feruntur, negotium quidem facessunt (d). Sed loci situs & circumstantiæ omnes sedulo prius inspicenda essent, quod certius daretur judicium, num prodigium aliquod ea in re statueretur. Fac autem prodigium agnoscendum sit. Nonne cum S. Augustino Tract. 124. in Joannem reputari potuisset (e), Deum eo prodigio commendare voluisset preciosam S. Apostoli mortem; nisi fortè latentem aliam causam, cur id voluerit, Deus habuisse credatur?

c Aug. tract. 124. in Jo. n. 2.

d Aug. tract. 124. n. 2. Non defunctum, sed defuncto similem cubuisse, & cum mortuus putaretur, sepulchrum fuisse dormientem, & donec Christus veniat, sic manere, suamque vitam scaturigine pulveris indicare, qui pulvis creditur, ut ab imo ad superficiem tumuli ascendat, statim quiescentis impelli. e Restat, ut si verè ibi sit, quod sparsit fama de terra, que subinde ablata succrescit, aut idè fiat, ut eo modo commendatur pretiosa mors ejus, quoniam non eam commendavit Martyrium, aut propter aliquid aliud, quod nos latet.

Ad Veterum testimonium quiddam spectat? alias nos opponimus auctoritates Patrum, qui vetustate illis præstant, nempe S. Irenei Polycratis, S. Polycarpi, Origenis, Concilii Ephesini, Eusebii, Tertulliani, S. Augustini, S. Hieronymi, S. Epiphani, S. Chrysostomi, S. Cyrilli Alexandrini, aliorumque plurimum testantium, diem clausisse Apostolum & in Urbe Ephesi sepultura mandatum. S. Irenæus lib. 2. c. 39. & apud Euseb. lib. 3. cap. 3. vixisse illum usque ad Imperium Trajani perhibuit, ex quo certa ducitur conjectura, Apostolum sub Trajano juxta Irenæum occubuisse. Polycrates Ephesinus [f] apud Eusebium narrat, virum hunc sanctum in suo apud Ephesum sepulchro resurrectionem generalem opperiri. Ejus obitum consignat Eusebius ad tertium Trajani annum. S. Hieronymus (†) testatur obiisse Apostolum 68. annis à Passione Jesu Christi; obiisse autem 88. annis grandævum Author est S. Epiphanius, hæres. 71. Centum annis & septem mensibus grandævum natum diem clausisse a. 104. Jesu Christi habet Chronicon Alexandrinum. Ejus sepulchrum visebatur non procul ab Epheso, ait S. Hieronymus, qui simul observat (*) Ephesi pariter spectari sepulchrum alterius Joannis, cui à nonnullis duæ posteriores Apostoli Joannis Epistolæ tribuuntur.

Quibus S. Hieronymi testimonio satis superque refutari credo eam, quæ ex eodem S. Doctore in Libro adversus Jovinianum contra hanc sententiam producta sunt; quodam enim ibi ingenii œthro raptus panegyrico enthusiasmo ita effatur: Ex quo ostenditur virginitatem non mori; & dormitationem S. Joannis transitum esse, non Martyrium. Eiusdem Apostoli obitum non obscure agnoscit S. Chrysostomus (h), à quo pariter de sepulchro ejusdem Apostoli, veluti de sepulchro Apostolorum Petri & Pauli agitur. Opinionem quorundam Apostolorum, qui d. eternam ad judicium usque vitam Joannem produxerunt autumabant, rejicit S. Cyrillus Alexandrinus diversis Homil. Tom. 5. Vidimus autem in superioribus quantum ab eadem sententia de immortalitate Apostoli abhorreret S. Augustinus, & quomodo adversa sententia assertores ex ipso Evangelii Textu refuter.

Tertullianus apertissimis verbis obiisse illum dicit lib. de Anim. cap. 50. eorum spem, qui mansurum illum ad secundum usque adventum Domini sibi blandiebantur, irritam excidisse testatus (i). S. Ambrosius de fide resurrecti. hom. 49. fatetur, sparsum quidem inter fratres rumorem de eius immortalitate, sed nunquam satis Fidelibus eam famam adprobata: Joanni promissum estimatum, sed non est creditum. Cælestinus Papa (k) scripta ad Patres Ephesinos Epistolâ horitur, ut documenta scelerentur S. Joannis: Cujus reliquias, ait, presentes veneramini. Ipsum pariter Ephesinum Concilium agnoscit S. Joannem tunc Ephesi fuisse; eoque modo, rogo, nisi in tumulo jacentem? Orientales, qui ad Concilium venerant, querebantur, prohibitos se.

f Polycrat. apud Euseb. l. 5. c. 24. bisp. Eccles. & l. 3. c. 31. † Hieron. de viris illustr. & l. x. contra Jovinian.

* De Vir. Illustr.

h In Epist. ad Hebr. hom. 26.

i Olijit & Joannes, quem in adventum Domini fuisse remansurum falsa fuerat spes. k Vide AB. Concill. Ephe. sin. l. 4.

se ne tumulos Martyrum & maxime S. Joannis Evangelistæ inviserent. Porro quanta quanta sunt Acta hujus Concilii, & Orationes Patrum, ibi relatæ, nulla præferunt popularis opinionis de immortalitate Apostoli vestigia. Reputandum est igitur, nunquam eam de re impositam fuisse Episcopis, eamque opinionem, viris doctis & ingenii acumine præstantibus nunquam adprobata fuisse.

l Origen. apud Euseb. l. 3. c. 1. m Vide apud Florent. p. 124.

n Apud Euseb. bistor. Eccles. l. 7. c. 25.

o De Antiebr. pag. 41. & 12. nov. edit. Fabrice.

p Orat. 34. Vi. de Jup.

q Apoc. 11. 3. Dabo duobus testibus meis.

Disertè testatur Origenes (l), Apostolum Ephesi diem clausisse. Laudatur testimonium S. Polycarpi (n), Discipuli S. Joannis, quo assertur obiisse virum sanctum, non martyrio quidem, sed post plurimos exantlatos labores & exilia. Ejus sepulchrum Ephesi constituit S. Dionysius Alexandrinus (n). Genuinus S. Hippolytus in eodem cum Jeremia & Daniele censu Apostolum collocat, unam eandemque de omnibus sententiam ferens: Mortui estis cum Christo, sed videtis cum Christo (o). Addi illis omnibus possunt auctoritates Theodori Heracleensis, & Mopsuesteni, quorum fragmenta servantur in Catena Græca in S. Joannem, S. Gregorii Magni hom. 25. Leontii, Bedæ, Theophylacti, Euthymii, Ruperti Abbatis, Haimonis, & Interpretum fere omnium, tam veterum, quàm recentiorum, qui in postremum illud caput S. Joannis scripserunt.

En tellium non infimæ auctoritatis turbam, cui non sine temeritatis notâ fidem refragetur. Nihil est ambiguum, nihil nisi assertum, nihil nisi ex genuinis Operibus deducum; testes sunt temporis non suspecti; quippe qui sanam & venerabilem referant antiquitatem. Non sententias damus, quæ alia meditantibus exciderint; non è declamationibus excerptas; sed argumenta historica, & ex factis ipso petita. Alia planè est indoles earum, quæ pro adversa sententia relatæ sunt; pleræque enim ex illis jure meritoque rejicerentur, sive meritum spectes eorum, quibus laudantur; sive verborum ambages, quibus obvolvuntur; sive singularitatem, vel credulitatem eorum, qui illas effuderunt.

Locus ex Apocalypsi 10. 11. pro adversa sententia relatus, nimirum venturum in exitu sæculorum Joannem, ut prophetes Gentibus, populis, linguis, & Regibus multus; locus, inquam, iste, quanvis in favorem adversariorum usurpari visus sit à S. Gregorio Nazianzeno (p), S. Ambrosio, sive altero quocunque, qui nomen Joannis nominibus Enoch, & Eliæ ejus Traditum super Psalmum 45. 10. expressis, inseruit; pronum est tamen ut intelligatur de Evangelio, & Apocalypsi ab eodem Apostolo scriptis, quibus ad nostram etatem, & futuris etiam temporibus fidem omnibus inculcare non desisset. Tantùm autem aberat ipsemet S. Joannes ab ea de se opinione; futurum nempe ut inter Præcones Evangelii adversus Antichristum, inter Testes, qui fidem sanguine suo obfigarent, ipse accenseretur; tantùm, inquam, ab ea de se persuasionem aberat, ut duos tantùm futuros testes prædicat (q), nimirum, quantum conjicitur, Enoch, & Eliam.

r Matth. 20. 22. 23. Marc. 5. 30. 39.

s Bolland. 3. Maji p. 364.

t In Epist. ad Galat.

u Smaragd. Collection. in Evangel. & Epist. in Natali S. Joann. Evangel. fol. 11. Edit. Argentorat. Georg. Ulri. cher. A. 1536.

Promissio, qua Filius Dei fidem suam obstrinxit (r), propinaturum nempe viro calicem suum, tunc maxime tunc impleta fuit juxta Patres, & Commentatores, cum fermentis olei caldarium subire, atque exul in Insulam Pathmos degere coactus est. Nonne jure martyrium totâ vitâ produxisse credendus est, qui Apostolicas sollicitudines tales tantaque toleravit? Futile est autem argumentum illud, quod ex ignoratis ejusdem Apostoli reliquiis deducitur. Quot enim Sanctorum corpora neque è terra, nunquam effossa sunt, neque, ubi maxime quiescant, certi aliquid rescitur? Memoriae proditum est (s), in quadam Mediolani Ecclesia reliquias S. Joannis Fidelium religioni, & venerationi expositas fuisse, munus, uti quidem creditum, S. Ambrosii. Deducta ex rerum convenientia futiles sunt in hoc argumenti genere conjecturæ; possunt non dissimiles etiam pro adversa sententia afferri.

Verùm quod vitæ genus Apostolo tribueretur in tumulo, & aggestâ terrâ, ac pulvere oppresso? Cùm ad exitum vitæ properaret, teste S. Hieronymo (t), officium affecti viri pedes negabant; ne loquendi quidem suppetebant vires, ut ad Ecclesiam nisi inter Discipulorum brachia venire non potuisset; illud autem in eo infirmæ valetudinis statu repetebat identidem: Filii mei diligite alterutrum. An fortè ab eo tempore vitam reproduxit, sive dulcem adhuc experiri vitam potuisset vir, qui 90. annis natus senectutis pondus vix, ac ne vix quidem sustinebat?

Plerosque autem Scriptorum, quorum pro adversa opinione testimonia afferuntur, non ita sententiæ illorum, quantum pro opinione, si diligentius examinentur, favisse intelligemus. Nihil etiam ab illis, quod alicujus sit momenti, assertum est. Ita Præfationes in veteribus Bibliis Latinis præfixe Evangelio, & Apocalypsi, quarum altera S. Hieronymi, altera Gilberti nomen præfert, hæc tantùm habent: Descendens in defossam sepultura sua locum, factâ oratione postus est ad Patres suos, tam liber à dolore mortis, quàm à corruptione carnis invenitur alienus.

Statuendum est itaque, opinionem, quæ occubuisse S. Joannem negat, vel post obitum rediisse in vitam affirmat, nullo solido inniti fundamento, & ab Authoribus fere omnibus.

omnibus, quã veteribus, quã recentioribus, paucis exceptis, tanquam popularem quidem, sed minus veram opinionem habitam fuisse. Frustrã autem in eam sententiam traheretur Ecclesia Latina, cui nunquam talia approbata sunt. Græcos ultro adver-

sariis damus, quos post admissum schisma altis adeo ignorantia, errorum, & superstitionis tenebris offusos constat, ut ne linea quidem veteris scientiã, & pietatis illis agnoscat.

IN ACTA APOSTOLORUM PROLEGOMENON.

Post supremam manum Evangelio, historiã nempe rerum gestarum Jesu Christi ejusque Parentis, qua familiarissimè usus est, impostam, id sibi proposuit S. Lucas, ut in Actis Apostolorum Evangelium scriberet S. Spiritus, juxta Oecumenii phrasim in Acta p. 20. vel Resurrectionis J. C. juxta Chrysostrum in Acta hom. 1. sive tandem rerum gestarum à primis illis Apostolis, & nascentis Ecclesiã historiam. Nec sanè post descriptam vitam, & doctrinam J. C. dignius aliud argumentum tractandum ab illo fuerat, nullum utilius, nullum majoris ad Ecclesiam momenti, sive exempla spectes ad dirigendos mores, sive institutiones ad doctrinam formandam (x). Impleta exhibet plura Filii Dei oracula, uti de illapsu S. Spiritus, atque de immutatis ingenio, atque indole Apostolorum, ejusdem S. Spiritus operatione; specimen præbet Christianã illius perfectionis, cujus ideam omnem implet priorum Fidelium vita pariter & disciplina; parent insuper insignia virtutum exempla, qua sub Apostolis data sunt; parent prodigia S. Spiritus in redigendis ad fidem gentibus; & super omnia prodigia prodigium illud constituta nempe Ecclesiã Christianã, & Regni Dei, illius, inquam, Regni cujus in Scripturis promissiones frequentissimã spectantur.

x Idem ibid. initio.

Inscriptum est à S. Luca Opus: *Acta Apostolorum*, quod, ait S. Chrysostrum [x], doceremur, non tam prodigia in eo querere, quã morum exempla, & documenta virtutum. Cum, ait S. Hieronymus Epistola 103. non nisi nudam, & simplicem Ecclesiã nascentis historiam referendam suscipere visus est sapiens ille Medicus, Evangelio suo universo Orbi celebratissimus, re ipsa tamen promittit totidem remedia curandẽ infirmã animarum nostrarum valetudini præsentissima, quot verba profert formandis moribus utilissima.

z Jo. 3. hom. 12. pag. 158.

Id autem habuisse potissimum consilii creditur, ut confectis aliorum fraude Apostolorum Actibus, veram hanc & genuinam rerum ab Apostolis Petro, & Paulo gestarum historiam opponeret. In eam verò contulit quicquid maximè necessarium duxit ad credendum fidem, cujus rei merito tantam sibi gratiam apud Ecclesiam universam comparavit, ut ejus solum Opere

admissio, cetera omnia rejicerentur (†). Verùm si fide Operis sui Sanctus Lucas ceteris omnibus de eo argumento Libris ante se scriptis fidem detrahit, nequidquam tamen factum est, quin post ipsum alia procederentur. Nota sunt posterioribus sæculis Acta à Manichæis caterisque Hæreticis supposita, de quibus nobis fufius infra agendum est. Sed eorum tenebras Sanctissimus Scriptor luce Operis sui ita dissipavit, ut nihil sive ante ipsum sive post ipsum scriptis mandatum de eo argumento admitteretur. Suspiciatur Sanctius in Acta Proleg. n. 13. Judæos Apostoli Pauli famã invidiam creaturos, plures in vulgus adversus illum calumnias sparsisse, quibus confutandis revincendisque S. Lucas Opus illud veluti apologiam opposuit.

† August. de Conser. Evangelii. l. 4. c. 8.

Quærit S. Chrysostrum in Acta hom. 1. cur S. Lucas utrumque Opus eidem Theophylo inseribens, non in eundem pariter Librum contulerit Acta simul & Evangelium; sed in duo dispescere maluisse. Respondet autem id ab eo præsitum, 1. Majoris claritatis gratiã; 2. In commodum Lectorum; 3. Ut rerum, de quibus agebat, naturã serviret; discrimen enim poscunt. Primò autem scriptum ab ipso Evangelium, deinde Acta (a); sed quo potissimum tempore ad utrumque sese contulerit, incertum. Traditum est apud veteres, digestum ab ipso Evangelium in Achaja; idemque opus spectari ab Apostolo 2. Corinth. 8. 28. *Misimus cum Tito fratrem, cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias.* Sed his admissis fateamur oportet, diu ante scriptum Actuum Librum produisse Evangelium; Epistola enim ad Corinthios data est An. Jesu Christi 57. cum scribendis Actibus non antea operam dare poterit, quàm post exactum Romæ unã cum Apostolo Paulo biennium, nempe post 2. 62. vel 63. Jesu Christi. Nec abs re suspicaremur, scriptum hunc Librum Romæ, quo tempore in captivitate detento Apostolo S. Lucas usque ad restitutam ejus libertatem adhæsit.

a Act. 1. Primum quidem sermonem feci de omnibus & Theophylo, quæ capit Jesu facere & docere.

Græcis literis exaratum fuisse ambigit nemo; cultior est autem & elegantior, quàm ceterorum omnium N. T. [b]. Laudantur in eo plerumque testimonia Scripturæ juxta Versionem Septuaginta; quod facile Scriptor Hebræicum ignoraret (c); cum etiam S. Paulus verba frequentissimè Gentibus faciens, mallet Sacros Libros ju-

b Hieron. 20. Isai. 6.

c Hieron. tradit. Hebr. in Gen. 46.

xia

xta vulgatum & omnium manibus primum Textum laudare, quàm ex Hebræo longè pluribus ignoto. S. Epiphanius heres. 30. cap. 3. 6. author est, è Græco in Hebræum, sive Chaldæum vel Syriacum, quo tanquam vernaculo Palæstini Judæi utebantur, translatum fuisse. Idem Opus Hebræicè vertebant Ebionitæ; sed pluribus memoriã Apostolorum planè injuriosis inferctum, corruptumque. Tradit S. Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis Presbyterum quandam Asiã genuinis Apostolorum Actis adjecisse Itinera SS. Pauli, Teclæ, sicut & commentitiam quandam baptizati Leonis (belluã nempe) historiam. Ejus imposturæ reum tenait eundem Presbyterum S. Joannes Evangelista, ait Tertullianus, coegitque fateri, amore Pauli hæc illum commenta procudisse.

d Aug. Epist. olim 253. nunc 237. n. 2. & lib. de utilit. creden. n. 7.

e De Prædest. SS. c. 2. n. 4.

f In Acta Præfat.

Canonica huic Libro autoritas nunquam defuit in Ecclesia. Canonicum tamen negarunt Hæretici Marcionitæ (Tertull. cont. Marcion. l. 5. c. 1. 2. cum Manichæis. (August. de utilit. creden. c. 3). Genuinum Opus rejicientes Nicolaitæ, & Gnostici apocrypha alia Scripta substituerunt (Philatr. her. 87.). Id autem ab illis Hæreticis præsitum, (d), quod luculentè nimis in eo Opere illapsus S. Spiritus juxta Oraculum Jesu Christi paucis post Ascensionem diebus manifestaretur; quod incommodum Manichæis accidebat, jactantibus illud de S. Spiritu oraculum in Manete hæretis auctore implendum. S. Augustinus ita de hoc Libro pronunciat (e): *Actus Apostolorum Liber est de Canone Scripturarum: ipse Liber incipit legi à Domini Pasche, sicut se consuetudo habet Ecclesia.*

Queritur S. Chrysostrum de neglecta plus nimio ætate suã Libri Actuum lectio- ne, ut pluribus ne nomine quidem Opus nosceretur. Ipse verò pluribus illius scripti meritum effert, Ecclesiã perinde ac Evangelium utile esse professus. Erasmus (f) in sua editione N. T. meditabatur Evangelium S. Luca Actis jungere, ne unius ejusdemque Authoris uni eademque nuncupata Viro Opera disjungerentur; ab eo tamen consilio abterritus est metu ne gravius ferretur variatus Evangeliorum ordo. Quamquam ut vera fateamur, Acta ipsa Evangelii portio non infima censeri possunt. Si enim Evangelium semenem terræ jactam præfert; natum gemen & matura jam messis exhibetur in Actis.

Inter Opera N. T. non idem semper locus Actis Apostolorum mansit. Medium tenent inter quatuor Evangelia & Apocalypsim in pluribus vetustis Mss. quorum unum servatur in Abbata Medii Monasterii; nec alium plerumque obtinuisse insinuant S. Augustinus, Cassiodorus, & Theodulphus Aurelianensis. Sed alia quædam Exemplaria constituunt post Epistolas S. Pauli, & ante septem Canonicas; uti spectare etiam licet in vetustis nonnullis Editionibus. In veteri M. S. Germani Pratenfis, sicut & in Bibliis S. Mariæ Mussiponti hic ordo servatus est; Evangelia, Acta, septem Epistolæ Canonice, Epistola S. Pauli; *Disert. Calmet Tom. II.*

quod & recurrit in Mss. Syriacis, & in in Versione Mofcha, seu Ruthenica. Porro Acta septem Canonicis continuari tradit S. Philastrius. Interdum post Apocalypsim rejecta sunt. Ea tandem in re maximè variant, quã Mss. quã veteres Editiones (g).

Variantia plurima, nec levioris momenti in eodem Libro deprehendantur; quæ facillè glossæ sunt ab Amanuensis adjunctæ, seu majoris claritatis gratiã in ora appositè addendæ, in Textum irrepentes. Quæ majoris momenti videbantur, in additionibus ad Commentarium adnotare visum est. Legitur in Synopsi, S. Athanasii nomine inscripta, S. Petrum Apostolum Librum Actuum dictasse, sicut Apostolum Paulum Evangelium S. Luca; utrumque incertum. Neque enim aliquid de Evangelio S. Luca, Apostoli Pauli dictantis ore excepto constat; Actibus verò dirigendis aliquid vel minimum contulisse S. Petrum vic ac ne vix quidem credimus. Ejus Apostoli mentio occurrit in primis tantum Operis capitibus; dein à capite 13. totum referendis S. Pauli gestis impenditur; nec sanè à latere ejusdem Apostoli recessisse amplius S. Lucas creditur, ex quo Troade in Phrygia illi comes, non itinerum tantum, sed laborum omnium & malorum accessit. Quare non nisi oculis explorata in eo libro refert. De S. Luca tanquam de viro amplissimo agit Apostolus 2. Cor. 8. 18. 19. *Misimus etiam cum Tito fratrem, cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias. Non solum autem, sed & ordinatus est ab Ecclesiis comes peregrinationis nostræ in hanc gratiam, qua ministratur à nobis ad Domini gloriam (nempe colligendis Fidelium elemosynis).* Suspiciantur etiam plures inter veteres, Lucium illum, de quo ad Rom. 16. 21. ubi sibi necessitate conjunctum cum virum testatur Apostolus, ipsum esse S. Lucam Actuum Apostolorum scriptorem.

Utriusque itineris Pauli Apostoli Romam focus accessit S. Lucas, eumque solum inter veteres Discipulos, quibuscum ad Urbem venerat, lateri suo adstantem habebat idem Apostolus quo tempore secundam ad Timotheum Epistolam dabat; nempe paulò ante Martyrii sui consummationem (h), ut proinde ad exitum usque vitæ fidem hunc comitem expertus sit. Mirari subit, cur historiam Martyrii ejusdem Apostoli scriptis mandare neglexerit, cum nemo melius posset; quippe qui ocularis ejus obitus testis fuerat, & diu post eam ætatem vitam produxit. Sunt qui autemaverint (i), consilium agitasse illum novam scribendi historiam ab adventu Pauli Romam, usque ad ejus obitum; quod ne executioni mandaret in causa fuisse potuerunt itinera, & ceteræ Apostolicæ sollicitudines, præferendas illas scriptioni arbitratus. Apostoli & hominis Apostolici est, rara scribere, plura moliri [k]. Porro Martyrium S. Pauli satis aliunde innotescit; nec sanè aliter reputari par erat de re tanti momenti in celeberrimã Urbis Romæ, adeoque universi orbis theatro

g Vide Fabric. not. in Fragm. Apostol. apocryph. pag. 750.

h 2. Timoth. 4. 11. Lucas est mecum solus.

i Vide Fromond. ad Acta c. ult. pag. 705.

k Vide Chrysof. hom. 1. in Acta pag. 3.

v

sub